

PRINCIPIA
THEOLOGICA

AUCTOR P. HENRIK KIEBER S. J.


SS. THEOLOGICAE DOCTORIS EUSEBII

ET SACRARUM SCRIPTURARUM IN ALMA UNIVERSITATE

WIRCEBURGENSIS

PROFESSORE PUBLICO ET ABBATIS

DE SCRIBENDI SACRA DE TRADITIONE DIVINA DE DOCTRINA GENUINA
DE CONCILIO DE ROMANO PASTORIS DE SS. PATRIBUS
DE THEOLOGIA ET HISTORICIS DE SACRIS DE HISTORIA DE HERESIBUS
DE PROPHETIIS DE SACRIS



1805
UNIVERSITÄT WÜRZBURG

BIBLIOPOLA AD LECTOREM.

Inter varia quæ circumferuntur Theologiæ catholicæ compendia, vix ullum aliud ita Doctorum suffragio comprobari et adeo multorum votis expeti nobis visum est ac Wirceburgensium Societatis Jesu Patrum illa, quam iterum typis mandamus, Theologia. Sive enim eruditionis copiam testimoniorumque delectum, sive rationum pondus, sive methodum et integritatem desideres, opus nulli secundum et numeris omnibus absolutum fatearis necesse est. Cujus non infima etiam commendatio esse debet, quod in illa florentissima olim Universitate ortum et famam habuerit, quæ validissima Fidei propugnatrix in Germania, præter hos quos recudimus Dogmaticæ Theologiæ scriptores, paucorum annorum decursu, suos inter professores, PP. Edmundum Voigt, Adrianum Daude, Xaverium Widenhofer, aliosque protulit viros, omnium judicio, in moralibus, historicis ac scripturisticis doctrinis exercitatissimos, quos nominare laudare est.

Porro in hac altera editione pauca innovavimus, quæ genuinam operi integritatem relinquunt, solum immutato nonnihil ordine. Præterquam enim quod singula volumina, olim prout vario tempore perfecta fuerant, in publicum emissa, nunc juxta theologiæ cursus ordinem proferemus, et alia quædam levissima, subjectis notis indicata, addidimus, consultius esse visum est suarum singulis propositionibus objectionum seriem nectere, quæ, in priori

editione, ad calcem uniuscujusque capituli aut articuli rejecta procul aberant.

Quod si in hac sacrarum disciplinarum instauratione, quam tanto promovent studio plerique hodie in Gallia Illustrissimi Præsules, ac novissima magis magisque commendaverè Concilia, labor iste noster benigne exceptus fuerit, cætera, quibus Theologica ἐγκυκλο- παιδεία conficitur, Wirceburgensium Patrum opera, postmodum, in gratiam Cleri, simili cura nec interrupta serie, Deo favente, vulgabimus.

PRÆLOQUIUM AUCTORIS.

§ I.

Nulla non ætas vidit et exhorruit teterrimas pestes in opprobrium honestatis ac Religionis. Nostrum vero seculum (cui quidem suas in multis prærogativas nemo sanus invidet) novis quotidie monstris inundatur, jam Fabularum Romanensium, jam Litterarum Exoticarum et Anonymarum, jam Lexicorum, Tractatum, Institutionum, Odarum, Carminum et Novellarum, quæ plerumque ementito prelo et auctore jamdum in fronte stigma gerunt, ac sub speciosa epigraphe, virus omne propinant. Sane problema videri potest, utrum Christi Ecclesia, fides orthodoxa et avita Religio plus hodie periculi ac scandali subeant, quam olim Novatorum Sectis debacchantibus; utrum temporum illorum tenebræ, et crassa rerum divinarum caligo plus obfuscarint veritatem Christianam, quam hodie lux spuria instantis scientiæ, quæ fidem et mores depravet. Quippe dum alii Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ supremam auctoritatem sugillant; Episcoporum ac utriusque Cleri jura et privilegia vellicant alii; alii Ecclesiasticæ Hierarchiæ majestatem arrodunt; alii, elisa bicipitis regiminis specie, Religionem subordinant felicitati Status; alii, Religione indifferenter tractata, ad licentiam autonomicam viam sternunt; alii Ecclesiasticas sanctiones, disciplinam et ritus explodunt; alii sanctissimam fidem libellis ac foliis, ut captiosis, sic perniciosis, undequaque invadunt; alii mysteria, oracula, miracula, et quidquid sanctum ac divinum est, exsibilant; nonne videantur velut ex conducto in unum omnes conspirasse, ut Petram et ædificatam in Petra Ecclesiam suffodiant, pessime tandem cum inferorum portis blasphemantes: « ecce prævaluimus adversus eam »?

Aurea ætas nostra artibus quidem efflorescit, sed et omnis generis incredulorum ac impiorum ita ferax, ut nulla magis; quorum irreligio soliis æque ac aris extrema minitans, in Deum et Ecclesiam, in Sacerdotium et Imperium vexillum effert rebellionis. Adeo, proh dolor! inde a seculis ali-

quot avita Religio rueret cœpit in deterius, ut primum Factio Heterodoxa multum splendoris detraheret; dein adnitentibus Heterodoxis invehetur Indifferentismus; tandem Naturalismus ac Theismus, et huic affines irreligio ac impietas haud parum invalescerent.

§ II.

Sunt vero in hac legione impia incredulorum, et número et ferocia potiores Theistæ seu Naturalistæ, quibus nulla datur præter legem naturæ divina revelatio, et pro unica tam fidei, quam vitæ regula est ratio, æquitas et honestas, ut aiunt, naturalis: qui fidem sibi pro lubitu adornant, quam dicunt religionem prudentem, liberam et eclecticam: qui sapientes philosophos et spiritus fortes sese vocitant, eo quod infantiae præjudiciis, Majorum exemplis, doctrinæ Apostolorum et Ecclesiæ Christi, Doctorum placitis, ipsis adeo SS. Bibliis et Traditionibus divinis, totius denique Ecclesiastici Ordinis et venerationi et auctoritati fortissime resistent; verius novi Celsi, Porphyrii, Juliani, Lampridii, Libanii et Christiani nominis deprædatores, de quorum vita et doctrina CLEMENS XIII. in sua Encyclica, anno 1766. 25. Nov. gravissime eloquitur:

« Pestifera contagio librorum, quibus fere obruimur, serpentina venena pectoribus invomit, illimes credendi fontes corrumpit, et Religionis fundamenta convellit. Impii currunt adversus Deum erecto collo, quem semper et ubique in oculos incurrentem negant, vel desidem et otiosum fingunt, cujus nec providentiam colant, nec justitiam vereantur. Increduli arcana fidei mysteria, quæ exsuperant omnem sensum, humano subdunt criterio et experimento: irridetur simplicium fides: eviscerantur arcana Dei: quæstiones de altissimis rebus temere ventillantur. Infensissimi Ecclesiæ hostes prætergressi quoscumque modestiæ ac debiti obsequii fines, editis nunc certo, nunc ementito prelo contumeliosis libris, irruere in ipsam Petri sedem, hoc perditio fortasse consilio adducti, ut ubi Caput afflixerint, liberius Ecclesiæ membra discerpant. »

Hucusque monita Patris ac Pastoris supremi et universalis; in quem sensum effatus nuperrime est CLEMENS XIV. in sua Encyclica ad Patriarchas, Primates, Archi-Episcopos et Episcopos Catholici orbis.

§ III.

Equidem æterna oblivione potius contumelanda forent et scripta et scriptorum nomina, ne fors operosa impiorum confutatio quædam sit piorum offensio; tamen quia pestifera eorum opera jamdum elata sunt in publi-

cum; ut boni omnes cavere et abominari possint magistros pestilentiae, juvat magis famosa eorum capita (prout illa in Protestantibus etiam vindiciis Christianæ Religionis perstringuntur) hic percensere, ac posthac totis viribus refellere et profligare. Sunt autem

I. BENED. SPINOZA, præsertim in *Ethica ordine geometrico demonstrata*, et in epistolis, quæ uti illa extant in ejus operibus posthumis. BOULAINVILLERS Spinozæ dictus Reformator, in fallaci scripto: *Réfutation des Erreurs de B. Spinoza*. JOAN. TOLANDUS præcipue in litteris Serenæ; in epist. 5^a. et in Pantheistico. DE LA METRIE, *Histoire naturelle de l'âme, l'homme machine, l'homme plante...* JOANN. CHRIST. EDELMANNUS in *der Gætlichkeit der Vernunft, und in dem Glaubensbekentniss*.

II. THOM. HOBBIUS in suo *Leviathan*, sive in operibus philos. BOLINGBROCKIUS, *Philosophical-Werks*.

III. PETRUS BAYLIUS, *Dictionnaire historique et critique, pensées diverses sur les comètes, continuation des pensées, réponse aux questions d'un Provincial*. VOLTAIRIUS, *Dictionnaire philosophique portatif*, velut in quodam errorum compendio. J. ROBINETUS, seu auctor libri, *de la nature*. DAVID HUMIUS, *Essais philosophiques sur l'entendement humain*.

IV. CAROLUS BLOUNT in suis animadversionibus, et in Oraculis Rationis. ANTON. COLLINS in variis discursibus de prophetiis, de Religione Christiana. ANTON. DE SCHAFFTESBURY, BERNARD. MANDEVILLIUS, THOM. WOOLSTON, CHUBB, MORGAN et MATTH. TINDAL, in suis Characteristicis, Collectionibus, Tractatibus et variis Discursibus. His accensentur ALBERT. RADICATI, *Recueil de pièces curieuses, Voyages et Aventures de Jacques Massé, Lettres choisies*. AUCTOR EPISTOLARUM, *sur la Religion essentielle à l'homme... pensées philosophiques*. JOAN. JAC. ROUSSEAU in suo Emilio, *Profession de foi du vicaire Savoyard*. MARQUIS D'ARGENS, saltem in *defensione paganismi*. Huc quoque pertinent SPINOZÆ Tractatus Theologico-Politicus, TOLANDI *Amyntor, Adeisidæmon sive Titus Livius a superstitione vindicatus, Nazarenus*; nec non EDELMANNI *Moses mit aufgedecktem Angesicht, Christus und Belial*. etc.

V. HERBERTUS DE CHERBURY in libro *de veritate, prout distinguitur a revelatione... de Religione laici, de Religione gentilium errorumque apud eos causas*; ARTHUR BURY in *Latitudinario orthodoxo*; TOLAND in opere: *Christianity not mysterious*; CHUBB et scriptor libri: *Dissertation où l'on établit le vrai et l'unique moyen de réunir tous les chrétiens*; item MICHAEL DE LOEN in *der einzigen wahren Religion*. Nec suspicione hic carent, præter alios Socinianos et Fanaticos, JOANN. LOCKIUS, *Christianisme raisonnable*; JAC. FOSTERUS...

Demum inter scripta hujusmodi recensentur et illa CRELLII, WHISTONI, WHITBY, CLAYTONI, BEVERLANDI, CUDWORTHI, JOANN. CLARCKII... Item variorum Lucubrationes: *Les mœurs, l'esprit, lettre sur les aveugles, les principes de la philosophie morale, l'oracle des anciens fidèles, l'esprit de Jésus-Christ sur*

la tolérance, pensées sur l'interprétation de la nature, épître à mon esprit, et sexcenta alia, quæ ferme in dies profunduntur, auctoris nomine æque, ac luce publica indignissima.

Ex his autem manifestum est, quod variæ sint classes incredulorum, quorum alii vere sunt Athei magis aut minus feroces, prout exhibet utraque series prior; alii Pyrrhonii seu Sceptici, uti scriptores classis tertiæ; alii Theistæ ac Naturalistæ, qui sunt quartum illud genus auctorum; demum alii ceu Indifferentistæ, Syncretistæ, Latitudinarij et Fanatici postremum ordinem constituunt. Equidem non omnes aut æque desipiunt, aut æque desæviunt scriptores hucusque nominati; attamen profligandi sunt omnes, quia hostes sunt vel divinæ Revelationis, vel christianæ veritatis, vel Ecclesiæ Christi orthodoxæ; ne unice vera, et vere salvifica Religio vel indefensa vel inulta opprimatur.

§ IV.

Equidem ea nos de patria sumus, quæ est inde a suis Apostolis, Martyribus et Patronis sanctæ fidei tenacissima; in ea civitate degimus, in qua omnis litteratura, et sacratiora præprimis studia, sunt florentissima; ea nos excolit academia, quæ sacramento sese obstringit ad tuenda Dei et Deiparæ, Christi et Ecclesiæ jura; ii vero identidem inaugurantur sanctæ fidei Magistri et Doctores, qui sicut dignitate muneris, eruditionis apparatu, et Apostolici Instituti prærogativa, ita eximio ardore pro illibata Majorum suorum fide præfulgent sub eo PRINCIPE, qui divinæ Religionis scientissimus, simul et studiosissimus est, et vel exinde vindex per Franconiam gloriosissimus, quod sacrarum Scripturarum novum Magisterium, ceu murum vere aheneum, objecerit torrenti impiorum. Attamen, quia merces spuria incredulorum, non obstantibus saluberrimis Superiorum sancitis, ab exteris emporiis in quasvis orthodoxas etiam civitates clam irrepunt, curiosorum manus et oculos callide subeunt, lectorum animos sensim depravant, fidem et mores præsertim incautæ juventutis suffodiunt; præsiidiis antehac memoratis instructus hostes Religionis eo fidentius aggredior, quod certus sim, hac in pugna pro patria et pro patriæ Patre a me decertari adversus ejusmodi conatus, queis populorum salus et Principum securitas labefactatur. Videlicet, ut si ab irreligionis grassante hodiedum contagione immunis sit eoa Francia, immunis porro conservetur; si fors patriæ ea pestis immineat, suffocetur in semine; si radices alicubi figere attentaverit, ad extremas usque fibras extirpetur.

§ V.

Sanctissimis summorum Principum exemplis excitatus, præsertim Romanorum Pontificum, et Augustissimorum Imperatoris ac Imperatricis, contra incredulorum impietatem decerto. Quippe CLEMENS XIII. S. M. in laudata Encyclica omnes Ecclesiarum Antistites adhortatus est, « ut opere et sermone succidant fallaciæ stirpes, corruptos vitiorum fontes obstruant, sanctæ fidei depositum tueantur, stent pro muro, ne fundamentum aliud ponatur præter id, quod positum est, detegant fidei populo vulpes, quæ vineam Domini demoliuntur, moneant suos, ne capi se sinant splendidis certorum auctorum nominibus, et libros omnes execrentur, in quibus aliquid residet, quod lectorem offendit, fidei, Religioni, bonis moribus adversatur, et non sapit Christianam honestatem. » Ipse quamvis vere Clemens scriptores, venditores, lectores librorum Religioni, summæ Sedi et Hierarchiæ obstrepentium in terris Pontificiis ad triremes damnans ad decennium. CLEMENS XIV. in sua: « si unquam eos, inquit, qui tuendæ vineæ Domini præsumunt, excitatos esse oportuit, hoc præsertim tempore illos inflammari, est pernecessarium. Quando enim tam multiplices, tam noxias sive ad labefactandam, sive ad tollendam Religionem exoriri fere quotidie, ac circumferri opiniones, quando novitatis illecebra magis inductos et quadam peregrinæ scientiæ aviditate pertractos ad hanc confluere, atque eandem libentissime conquirere vidimus, unde animarum pestem et perniciem extendi latius in dies ac miserime propagari dolemus. Quare et acrius vobis erit laborandum, Venerabiles Fratres! omnesque vel diligentia vel auctoritatis vires exercendæ, ut hanc tantam ac de divinis etiam et sanctissimis rebus grassantem temeritatem atque insaniam repellatis. »

JOSEPHUS II. Romanorum Imperator, pro suo erga Religionem Romano-Catholicam zelo vere Austriaco vereque Apostolico, gravissimis pœnis subiecit illos etiam, qui venditores ac detentores librorum ejusmodi non deferant castigandos; nuper admodum bibliopolam in pœnam libri suspecti a se divenditi exulare jubens, et intra 24 horas terris omnibus Austriacis exesse in perpetuum; nuperrime Ministri Aulici manibus extorquens Voltairium, continuo a se flammis traditum, adjuncta comminatione carceris, ni quas domi haberet similes pestes, eadem ipse pœna mulctaret; Legati adeo cujusdam quamvis inviti libros excuti mandans, et suspectos omnes tolli ac concremari; cui quidem Jus Gentium prætexenti Jus Naturale et Divinum Religiosissimus Cæsar opposuit tot præterea in dies ac cumprimis in obitu Augustæ Conjugis, in Augustæ Parentis morbo, Romæ vero præcipue, pietatis Christianæ documenta tam admiranda, et omnibus seculis stupenda præbens, ut Theismus Viennæ (quidni in universa Europa) dicatur vere

agonizare ad extrema deductus (1). MATER item Augustissima sanctissimis legibus omnem impiis scriptis aditum præcludens, heroica fortitudine Ecclesiam et Ecclesiasticos tuetur ac vindicat.

In Italia Planomachorum coaluit Societas Litteraria ad recentium scriptorum errores perstringendos, sub protectione potentissimi ELECTORIS PALATINI. Item cum EMIN. MOGUNTINO collatis studiis Theismum aggressus, gratiosissimo annutu probavit Vindicias Sacri Codicis contra varii generis incredulos, opera Societatis Jesu Moguntiae editas, quarum fama excita Anglia ad se transferri curavit complura exemplaria. Permulti adeo Protestantes, ne extincto penitus Christianismo Paganismus reviviscat, elaboratissimas sacrae Scripturae vindicias ediderunt. Quin et in Anglia ROBERTUS BOYLE fere sexcentos quotannis florenos legavit, pendendos præconi sacro pro sermonibus octo, adversus incredulos habendis in annos singulos. Berolini nuperime ingens præmium illi propositum, qui præcellenti scripto Religionem vindicaverit; passim autem per provincias Regi subditas publicæ in Gymnasiis habentur Institutiones pro stabilienda veritate ac divinitate Religionis Christianæ. Atque ideo CLEMENS XIII. in sua Encyclica infimo solatio Ecclesiae gratulatur, quod præprimis Prælati Ecclesiastici in hac avertenda peste fortes vigilesque hactenus extiterint; id quod Herbipolitani Pontificis, multoties bibliopolarum receptacula excuti, atque ab omni fæce fidei et morum corruptrice expurgari, mandantis, laudes cumprimis spectat.

§ VI.

Præterea ansam hujus Opusculi dedit annutus CELSISSIMI, quo habita pro vindicanda Religione inauguratio Doctorum Theologiae luce publica donanda erat; quæ vero pluribus jam Dissertationibus aucta et exulta, glorioso gloriosissimi PRINCIPIS nomini ut inscribatur, obtinuit. Id quod sapientissime ac optatissime evenit; tum ut hujates libri classici hac in parte compleantur; tum ut patria nostra non destituatur hoc qualicumque antidoto, legenti et intelligenti, ni fallor, saluberrimo efficacissimoque adversus grassantem ferme ubivis impietatem. Hæc ergo Vindicias debemus PRINCIPIS Nostro avitæ Religionis fortissimo vindici, cujus tam sanctis nutibus non obsecundare, summum nefas; debemus propriæ ac alienæ de sacris studiis Wirceburgensium existimationi, cujus dedecet esse incurios; debemus patriæ nostræ inde a primo fidei Christianæ ortu suo fervide ac constanter orthodoxæ, erga quam amore carere, scelus est; debemus Ecclesiae, erga quam deesse officio, sacrilegium; Deo denique debemus, cujus honoris et gloriae obli-

(1) Auctor ea scribebat anno 1771.

viosum esse, summa nec pianda dementia est. Cum vero plures antehac sanctæ fidei Hyperaspistæ ampliora Christianæ eruditionis volumina certatim ediderint, mihi liceat pulcherrimæ æmulationis vestigia premere; et qui me hoc in agone antecesserunt, duces sequi præstantissimos, Italos, Gallos, Anglos et Germanos, ut collectis undique copiis conjunctisque viribus, tota acie pro Christo et Christi fide decertetur; etiam paribus sæpe armis, queis ipsi adeo scriptores Protestantici Christianam veritatem tuentur ac vindicant (quàmvis haud æqua in omnibus fide) in quibus id plane insolitum, quod cum pro aris Christianis sat fortiter depugnent, ad suimet victoriam non pertingant, vi cujus Religio Christiano-Catholica, unice vera et unice salvifica, in eorum cordibus triumphet. Atque hinc non unos Theistas aut Naturalistas impugno, sed cujusvis nominis Incredulos, Paganos, Atheos, Polytheos, Judæos, Mahumetanos, Hæreticos, Libertinos, Indifferentes, Tolerantes, Pseudo-Politicos, et hujus furfuris alios; ut sic excussis omnibus latibulis incredulorum, eorumque irreligione cum fœdissimis errorum et errorum monstris comparata, omnibus evidenter appareat, sectis turpissimis simillimam, aut turpiorem etiam pestem esse incredulorum irreligionem.

§ VII.

Methodo in dissertando uti visum est quodammodo media, quæ per Præcognita, Themata, et Corollaria decurrens, ad Scholarum formulas minus sit adstricta; ut aliquid indulgeatur genio illorum, quibus liberius dicendi genus magis arridet. Sicubi nitidiorem quis scriptionem requirat; is meminerit, quod rem istam polemicam nitor ille haud deceat; sed magis scriptio, non quidem calamistris ornata, nec barbarie fœdata, sed plana et perspicua. In allegandis sacri Textus elogiis non admodum multus ero, quia contra Naturalistas pugno præcipue, qui omnem pernegant divinam Revelationem; non tamen plane nullus, quia contra eosdem vindicaturus sum verbum Dei et scriptum et traditum. Si Sanctorum Patrum effata adducam rarius; id non fit, quod ii sint viri pie creduli, nec docti, nec philosophi, ut criminantur Theistæ; sed quod libri unius fere AUGUSTINI, cujus testimonia liberalius depromo, sint instar armamentarii victricibus undique armis adversus quasvis incredulorum machinas instructissimi. Reflexiones adversarias non omnino omnes consector; cum earum plurimæ in libris nostris classicis profligantur; sed nova cumprimis dicteria et deliria incredulorum perstringo, queis suos hodie libros infarciunt, et contra fidem, bonos mores, ipsam honestatem, omnemque divinam et humanam auctoritatem liberime debacchantur.

Cum vero contra incredulos decertandum sit, veluti contra gentiles Sophistas, qui; ut Christianismum eliminent, Paganismum tamdiu cum

probrio sepultum iterato ex inferis revocant, illustrato terrarum orbi obtrudendum; ad vindicandam stabiliendamque veram Religionem iisdem accingor armis, quæ Evangelium, Judæis scandalum et Gentibus stultitiam, in orbem universum invexerunt. Dum interim Auctor et Consummator fidei, fidelium votis exoratus, largiatur ut festinato impetu propriam in perniciem ruat irreligio, et avita Christianorum sacra in dies lætius ac latius efflorescant.

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

DE

PRINCIPIIS THEOLOGICIS.

Visum est inscribere hæc institutiones de principiis Theologicis; tum quia decebat id quam minime distinguere per epigraphen, quod alias velut pars commentationibus prioris Tractatus inseri consuevit, tum quia hæc inscriptione planum erat complecti omnia, quæ per fidei regulas et Theologiæ fontes seu locos theologicos ab aliis designantur. Cum enim a D. Thoma p. 1. q. 33. a. 1. *Omne, a quo aliquid procedit quomodocumque, dicatur esse principium*, licebit Principiorum Theologicorum etiam nomine significare non tantum ea, quæ veritates a Deo revelatas continent aut infallibiliter proponunt, indeque fidei regula nuncupantur; sed et quæcumque sedes sunt et promptuaria, unde disciplina sacra de Deo rebusque ad Deum pertinentibus tractans, id est, Theologia sua argumenta desumit, quæ est locorum theologicorum descriptio. Quare sicut in horum censum communius referuntur Scriptura sacra, Traditio, Ecclesia, Concilia, Sedes Apostolica, seu Summus Pontifex, Patres, Scholæ Theologicæ, Juriscentia, Historia et Ratio humana; sic et illa eadem sub ampliore hac Principiorum theologicorum acceptione comprehenduntur. Quoniam vero non una istorum omnium vis est et efficacia, sed alia quidem veritates revelatas complectendo, objectum fidei ac disciplinæ theologicæ constituunt; alia autem veritates illas ostendendo subjectum utriusque facultatis dirigunt; alia demum easdem veritates vel custo-